

HEINRICVS I. MARCHIO BRANDENBVRG.



HEinricus magnis virtutibus insignis, corporis & animi sui fortitudine magnum sibi nomen comparauit. Itaque Cæsar is Heinrici primi castra sequens, res sibi commissas magna gloria expediuit, ac multoties uictoriam de Barbaris Christianorum hostibus retulit. Eo enim tempore multi infidelium ex Septentrione & Oriente accurrentes, Germaniam populabantur. Id cum Imperator intellexisset, hunc Heinricum extremis Germanorum finibus præfecit, atque Marchionem Brandenburgensem constituit, anno Christi noningentesimo tricesimo primo. In ea eminentia Heinricus constitutus, suam ditionem contra hostes Christianorum fortiter defendit, atque magnum apud posteritatem suæ virtutis nomen acquisiuit. Crantz. in Sax,